

Dum : quid Meurerus doceat , quid Næuius , audis  
Quid cum Gütlero tu quoq; Barthe feras.  
Lipsia quos olim , dulce est meminisse , souebat ,  
Lipsia Pegasidum , Pieridumq; domus.

Poferum vita functum , pono ordine in illo ,  
Qui te ista , fida duxit in arte manu.

Hei , quanta hic acie est oculorum opus , ordine certo  
Sparsa per inumeros , prendere sensa libros.

Et petere ingenio supra cuncta cacumina honorum ,  
Quæ : ( non inuideo ) tu modo iure tenes.

Lipsia mirata est iuuenem , laudauit , amauit ,  
Auxit honore etiam deinde Magisterij.

Donec , ubi perfecta virum te reddidit etas ,  
Inclita DOCTORIS dat Basilea gradum.

Dat Basilea gradum , vocat optima patria ciuem ,  
Ut medicam illius consulat æger opem.

Hei mihi , cur multis ò patria terra , negata es ,  
Cur ducenda alio vita misella loco ?

Hospes , ego in patriam veniens , sum quinq; dierum ,  
Cur me tam parui patria terra facis ?

Quicquid erit , superanda omnis fortuna precando est ,  
Sum procul à patria , fausta precor patriæ.

Plura tua laudi , mi sponse , & honoribus addam ,  
Non decet , ad fædus connubiale queri .

Dum forte ad cyathos alijs sunt fronte serena ,  
Et fallunt blandis tempora longa iocis.

Non lapis es flamarum expers , sed gemma smaragdus ,  
Quo vestit digitos bella puella suos.

Questio mota fuit , quænam sit virgo smaragdo  
Hoc digna , ut decoret brachia , colla , sinum .

Certum est , ipsi auro virides certare smaragdos ,  
Inuenienda ergo est , aurea theca tibi.

Ad Di-